

DE POËSI ORPHICA,
SPECIMEN ACADEMICUM,

Quod

VENIA AMPL. FAC. PHILOS. AB.

Publico Examini modeste subjiciunt

Mag. JOHANNES JACOB. TENGSTRÖM

Historiae Litterariae Docens, ad Bibliothecam Acad. Amanu-
ensis extraord.

ET

ROBERTUS TENGSTRÖM,
Ostrobothnienses.

In Auditorio Philos. die V Dec. MDCCCXII.

b. a. m. f.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

DE POTESI OPTICA

PRÆCISEMEN AGADEMICUM

Quod est
Graecum

AVENIA AMPLI FVG PRAESE AN

Prius Erasmus in his (p) (p) (p)

MIS. JOHANNES JACOB. TUNGERIUS

Præcisus Tuncius deinceps in Hispaniam et Italiam

In Anglorum Puffi die V Dec MDCCLII

ABOVE TAKE THE ENCLERICKS



De Poësi Orphica.

§. 1.

In fabulis carminibusque gentium nativa domestica indeole
conspicuarum antiquis tam divites & præclaris, omnia ani-
mantes mythi nobis obveniunt, tot religionis & poëseos emi-
cant lumen, ut si studios habuerint quosvis in judicio lit-
terarum omnique vita terfissimos:

*Tετο γαρ αθανατος φωναι εξπεισ,
Ει τις ευ ειπη τι ο).*

Illa interdum rudiora, nitorem & ultimam in excolandis ope-
ribus limam desiderantia artis primordia, quantumvis ex di-
verso solo natali a se invicem abludentia, pro simplicitate sua
inimitabili, genuina,

quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
lucidius atque melius CHRYSIPPO & CRANTORE docent. Im-
aginiæ lætas & sublimes animadvertere nobis videmur humani-
tatis, in gremio quasi naturæ quietentis, nec simulatæ nec
disimulatæ, infantiae, innocentiae felicitatisque pristinæ, qui-
bus revocandis & recolendis omnes, quotquot accurasieris cul-

A

turæ

^{a)} PIND, *Isthm*, IV. 68. ed. HEYNE.

turæ participes rationis auxilio nativam generis nostri integratatem assequi & restituere conamur, mentem pascere, opiniones vanas dediscere, & ad almam sobriamque mentis æquabilitatem nos informare possumus b).

Quidquid sit, nihil certe non sentimus libere humaneque, quando antiqua poëmata lingua felicis Hellados exarata legimus. Tanto autem abundant ingenio, ut HORATIUS c) pro certo sumat, scripta quæque antiquissima Græcorum esse vel optima: usque adeo præceptis artis satisfaciunt, ut, si quæ umquam alia ex ingenio nativo profecta, principia Æstheticæ vera absolutaque esse, probent d).

Græci, quos præ ceteris gentibus natura subtili quodam fenu sive gustu in poësi delitescerent, venerum ornaverat, & qui ineffabili amore omne pulchrum amplectebantur, vates suos antiquissimos mirifice coluerunt: quid? quod in amorem studiaque eorum usque adeo fuerunt effusi, ut facile dicassmorum animorumque habitum gentis ingeniosissimæ ad illorum sentiendi & cogitandi rationem quam maxime fuisse conformatum. Ex illorum carminibus prima hauserunt & religionis & scientiarum suorum stamina scriptores litteratique ætatis citerioris. Illi ora & ingenia vatum Pieris aquis rigarunt:

b) Quod non ita explicatum volumus, ut id demum sit naturale, quod a natura primum ortum & quale ante cultum fuit, quod incompositum formaque solutum. Species enim priscis etiam curserunt, in quantum ejus scite singenda & adornanda intelligentiam ubi comparare valuerant. Id vero est maxime naturale, quod fieri naturæ optime patitur. QUINT. Inst. Or. IX. 4.

c) Ep. II. 1. 28.

d) Dissimiles variasque populorum opinones & mores, dum fictione cuiilibet substernuntur, nihil ad æstheticum poëmatis pristium facere, nemo non sentit.

tunt: illorum commentis vividis philosophi ipsi placita sua immiscere & subjecere studuerunt e). Sic vates antiquissimi Græci, ut PROPERTII f) verbis utamur, posteritate opera sua crescere senserunt. Quorum præstantia vel eo probatur, quod, quantacunque fuerit diversitas opinionum in iis explicandis, ab omnibus æque celebrata amataque fuerunt.

Patet, ex illis ut plurimum pependisse culturam, a nostra sentiendi & judicandi ratione immane quantum diversam, gentis, in cuius ingenio efformando natura, quid efficere possit, experta videtur. — Omnia igitur, artes, quæ ad humanitatem pertinent, amantium interest, ut in luce collocentur cuivis aperta primævæ culturae & meliorum in humano genere sensuum quasi principes & antesignani, qua eo felicius quibusvis litteraturæ, in primis elegantioris sic dictæ, partibus prodesse valeant. Sed cum cum præcipue illud poëeos antiquissimæ Græcæ genus, cui paullisper immorari nobis sumsimus, fabulis variis obsitum & obscuratum sit, veremur, ne audaces & insolentes nimium videamur, præleus persequentes institutum. Lectorem igitur Benevolum rogamus, ut proposito juvenili, ex admiratione potius quam profundiore indagine litterarum Græcarum profecto, facilis ignoscat, maturiores studiorum nostrorum in hocce genere fructus olim, ut speramus, excepturus.

§. 2.

Homo ferus & incultus, in statu naturæ sibi quasi reli-

A 2

ctus,

e) PROTAGORAS ex. c. (PLAT. ed. STEPH. Tom. I. p. 316) contendit, HOMERUM HESIODUMQUE, ORPHEUM & MUSEUM fuisse sophistas, eosque, dum hominum odium invidiamque reformidarent, solitos esse speciem alterius ejusdam artis praetszere, & alienum nomen prætendere.

f) Eleg. III. 1.

Etis, affectibus, quibus agitur, violentissimis rationemque omnem repellentibus laceraretur omnino & quasi disrumpetur, nisi sonis, verbis atque motibus corporis eos efferre posset atque mulcere. Cum autem voces gestusqne turbidi & tumultuosi corpus valde fatigent, animusque effrenatus illud requiescere ægre patiatur, sensibus defatigatis succurrens fervorem concitationemque vehementiorum motuum rhythmo adstringit. Quæ cum ita sint, prima gentium, a rudi, exlege impetu animorum profecta, carmina non fuerunt commenta sive lusus phantasie, haud facta ad motus animi depingendos, adeoque nec *polymata* (*πολυμάτων*) proprie appellari possunt: affectum effervescentium fuerunt interpretes necessarii: artem non redoluerunt: sieque nec memoria custodiri, nec posteritati innotescere potuerunt. Postquam autem rhythmus primum signa affectum & deinde hos ipsos moderatus est, tranquillioresque reddidit, & harmoniam quandam inter corpus & animum effecit, homo non amplius ex necessitate quadam, sed consulto, illos vocibus & latu certæ dimensioni adstrictis exprimere, & denique versibus metro ligatis pro re nata sensa sua nobilissima includere aggressus est.

Fabulæ igitur antiquæ, proavos Græcorum a vatis deum mansuetos, excultos & ad reverentiam juris adstrictos fuisse, narrantes, cum & frequentes & communes fuerint, & hac ex parte rationi quoque consentiant, fidem certe merentur. Ipsa species carminum ferena & grata animos feroces mitiget & sedet, necesse est. Rhythmus etiam tumultus, ex affectibus multitudinis indomitæ orientes, ordinat sensusque componit & concinere docet. Ipsi philosophi antiquissimi, utpote phantasie magis quam rationis vi omnia comprehendor, carminibus doctrinam suam ut platinum expresserunt; quod & eorum, qui docerentur, infantie quasi apprime convenit, ut neimpe præcepta mentes rudiores formatura versibus signarentur, qui & aures mulcerent & memoria teneri facile pos-

— 7 —

posse: Constat immo eadem ex causa, Musicam, quæ, auctore TIMAGENE g), omnium artium prima exstitit, a sapientiae præse heroibus tractatam, & ad animos feros popularium emolliendos adhibitam, concentumque modorum & sonorum apud Græcos jam antiquitus inde virtutum nobilissimaruui parentem, educatorem & altorem fuisse. Unde nec est, quod nimium miremur, olim eosdem & Musicos & Vates & Sapientes judicatos esse h).

Ceterum prima retas culturae Græcorum, pariter ac universæ humanitatis, nebulis fabularum numquam dispellendis tegitur. Carmina enim HOMERI, quæ monumenta sunt antiquissima historiæ eorum, protaicum scribendi genus prænuntiare atque hoc non multo antiquiora esse videntur. Sine dudio tamen multa posita fuerunt tirocinia poëeos, priusquam vates adeo limatus omnibusque numeris absolutus ac HOMERUS prodiret. Haec igitur spissis, vel Cimmeriarum instar, tenebris sunt circumfusa. In vates enim antiquissimos Græcorum supersticio, pia fraus vanaque, generis humani propria, facinorum magnorum auctoribus miracula attribuendi libido, ut & philosophorum illos in suas partes trahendi studium, sexcentas monstrosas narrationes, aut totas fictas & commentitias, aut fabulis adeo commixtas, ut veritatem ab his distingueremus, invexerunt i). Fuerunt scilicet illi, prænativa

g) QUINT. Instit. Or. I. 16. Cf. MAX. Tyr. Disf. XXI. p. 214 ed.
sec. HEINSI.

h) Cf. QUINT. I. 16. In rudibus litterarum populis sapientes dicuntur nomine generali Poëta. Quin etiam PLATO ANACREONTA σοφοις adnumerat, sine dubio hilarem, vel Epicuream si mayis, sapientiam, quam spirant Odæ ejus, respiciens.

i) Ad ORPHEU auctoritatem, a plurimum sacerdotum pœne obliuione

nativa religionis poëeosque cognatione primi cultus pietatis
que doctores primique sacerdotes; atque adeo ex cogitandi ra-
tione suæ ætatis, qua corporis animique virtutes eximiæ ope-
ræ & favori Deorum attribuerentur, horum interpretes non
potuerunt non haberi. HOMERI certe adhuc ævo carmina pan-
gendi facultas in auctoritate & honore summo fuit ^{a)}. Sacer-
dotes autem antiquiores etiam imperium aliquando tenuisse,
vel inde forsan colligere liceat, quod ætate recentiori in plu-
rimis civitatibus Græcis præcipua sacra a magistratibus sum-
mis procurata fuerint ^{b)}. Singulis itaque cultus prisci princi-
pibus inventa varia progresionesque rationis humanæ tributa
sunt, quæ non possint non ad multa saecula pertinere. Quis
enim verisimile ducat, gentem silvestrem, feram & immanem
ab uno homine, quacunque demum arte divina usus fuerit, mi-
tem & mansuetam redditam fuisse? Non nisi sensim exiuit
ferocitas, sensimque explicant se virtutes:

*Sic unum quidquid paullatim protrahit ætas
In medium, ratiisque in luminis eruit oras.*

Quid ^{c)} quod dubium videatur, an vel narrationes de vi mul-
ces atque poëeos antiquissimæ ad mores mitigandos a genui-
na quadam traditione arcessendæ sint; quippe quarum artium
effectus homo ferus, vix suimet ipse conscient, mutationesque
internæ naturæ suæ contemplari insuetus, aestimare, atque a
sem-

reluctatam, certamine velut initio adhuc provocarunt Christiani,
itemque de nova PLATONIS schola philosophi. Cf. BÜHLES *Gesch.*
d. neuern Philosophie, T. II, p. 157.

^{a)} Cf. ex. c. Od. VIII. 479.

^{b)} Apud Athenienses creati regis fidei augustissima sacra & maxime
patrii antiquissimarum religionum ritus tributi atque demandati
fuerunt, PLATONIS Polit. Tom. II. p. 290.

senibus suis ceteris hinc illius oriundis distinguere & segregare vix noverit. HOMERUS certe fabulam de sono mirabili testudinis saxa movente ignorasse videtur; utpote qui Thebarum ab AMPHIONE & ZETHO munitarum mentionem faciens ^{m)} portentum tale haud commemoaret. Immo ARISTOTELES, ut scriptum reliquit CICERO ⁿ⁾, docuit, ORPHEUM Poëtam, in eius vita rebusque gestis enarrandis præcipue sibi placuit antiquitas, numquam fuisse ^{o)}. Attamen, cum neque ARISTOTELIS ætate in liquidum perduci potuerit, an ullus umquam hoc nomine vates insignis vixerit, nec ne, adeoque, ipsum nihil aliud indicare voluisse, videatur, quam, ORPHEUM non talem, in quem ea, quæ narrantur, omnia convenient, fuisse, veritati, ni fallimur, proximum est, aliquos quasi primigenios fuisse vates, LINUM, PAMPHUM, MUSEUM, ORPHEUM, ceteros, magnos pro suo seculo sapientiae laude viros, ad quos deinde tot commenta & inventa ^{p)} retulerint posteri, ut Herculeorum laborum oneribus quasi oppressi interierint. Utinque ista se habeant, nomen ORPHEI in fastis litterarum memorabile est, utpote a quo ætas certa historiæ Græcæ, certaque schola poëtica & religiosa, certa carmina, idem consilium ac propositum spirantia, derivari soleant.

§. 3.

Poësis mystica, quæ in Græcia floruit, e communi opinione
ne:

^{m)} Od. XI. 260-265.

ⁿ⁾ De nat. Deor. I. 38. Idem contendit DIONYSIUS apud SUNDAM.

^{o)} Hinc Vossius (de Arte poët. c. 13) putat, Triumviros ihos poësos, ORPHEA, MUSEUM, LINUM non fuisse, sed esse nomina ab antiqua Phoenicum lingua, qua usi CADMUS, & antiquius posteri.

^{p)} Hæc omnia vel repete vel ad examen revocare, non est nobis instituti.

ne antiquissimis temporibus originem suam debuit, ejusque fons & auctor ORPHEUS habitus est ^{q)}. Cum vero poëtis mysticae notionibus excelsioribus sine dubio, quam quæ in barbaris inesse solent, enata videatur, cumque probabile sit, Orphicos, qui societatem arcanam constituerent ^{r)}, ut speciem venerabilem & sibi & mythis suis vindicarent, natales ejus ad ultimam vetustatem refulisse, iurices vero ipsi dissentiant de auctoribus carminum Orphicorum, nulla denique rationis mysticæ indicia in poëmatibus Homericis existent, jure omnino ætas ejus in disquisitionem vocatur.

Sed ne quis nobis vitio vertat, quod antiquitatis fidem convellamus, remque, de qua sine veterum auctoritate decernere haud liceat, in dubium vocemus, commemorandum est: Orphicum camen, teste CICERONE ^{s)}, Pythagoreo cuidam CERCOPI attributum fuisse: SEXTUM EMPIRICUM carmina Orphica ONOMACRITO adscribere ^{t)}: HERODOTUM poëtas, qui HOMERO & HESIODO priores censebantur, posteriores judicare ^{u)}; PINDARIONEM apud SEXTUM ^{v)} pro certo sumere, nullum opus

^{q)} EURIPIDES in RHESO, v. 943, ORPHEI mentionem intexens canit: Μυηγιαν των απορρέατων Φάρας εδείζεν.

^{r)} Circulatores divitum domos frequentantes in sceleribus per sacrificiorum ritus expiandis libros, ut perhibuerunt, a Musso & ORPHEO scriptos protulerunt, ad quorum normam sacra peragerent (Cf. PLATONEM de Rep. L. II. Tom. II. p. 364.) EURIPIDES (HIPPOLYT. v. 952) THESEA facit exprobare filio suo HIPPOLYTO αψυχον βοεών, & quod ORPHEA sibi regem fecisset, eoque abstinentiae praetextu novercam stupro pollueret.

^{s)} Nat. Deor. I. 38:

^{t)} Adv. Mathem. IX. 361, Pyrrhon. Inflit. III. 30,

^{u)} L. II. p. 69. ed. STEPH.

^{v)} Adv. Mathem. I. 203.

antiquius poëmatibus Homericis ad suam ætatem pervenisse: PAUSANIAM denique hymnos OLENI, etiam si in iis Hyperboraeorum, (quod nomen non habet pater Geographæ & Historie HOMERUS), mentio facta fuerit, illeque Hyperboreis x). oriundus habitus sit, PAMPHO & ORPHEO antiquiores facere y). — Observandum quoque est, universim hanc raras fuisse apud Græcos vetustiores in libris Iopponendis interpolandisque fraudes. Narrat HERODOTUS z), ONOMACRITUM ab HIPPARCHO, Pisistrati filio, Athenis ejectum fuisse, quod a LASO, Hermonensi, manifesto deprehensus fuisset, inter Musæi fortæ hanc etiam inseruisse, fore, ut insulæ Lemno adjacentes mari submergerentur. Multas autem ejusdem generis fallacias fuisse, quæ numquam detergerentur, veri simillimum est. Ad HOMERUM item relata sunt carmina epica, Cypria appellata, quorum auctorem eum non esse, jam HERODOTUS ostendit a). QUINTILIANUS pariter memoirat, ARISTOPHANEM Grammaticum primum negasse, librum, qui inscribebatur ὑπὸ θῆρας HESIODO que adjudicabatur, hujus fuisse poëtæ. Præterea tenendum est, in tanta jactura scriptorum antiquorum, ne conjectura quidem assequi semper licere, quid hac in parte senserint veteres: atque tum, quum critica ars & subtilitas ac grammatica doctrina apud Græcos prodirent, momentorum, quibus vulgi fides mollienda esset, indicia & vestigia vetustate fere oblitterata fuisse. Quoniam denique sacer, si quis umquam vates, erat ORPHEUS, religione quadam non potuerunt non deterreri, qui ad

B

cum

x) HERODOTUS, *De hominibus*, inquit, *Hyperboreis neque Scythæ quidquam dicunt, neque olli hic habitantium præter Isedonas: verum, ut ego puto, ne hi quidem quidquam (intellige probabile) dicunt* (IV. p. 146).

y) IX. 27.

z) Herod. VII. p. 243.

a) II. p. 83.

eum scriptorum gloria, qua diu inclarerat, deturbandum inclarent. Scelesti saltem habiti sunt gravibusque poenis affecti, qui mysteria evulgarent. Quam anxie hæc servarentur, & quam periculosum eslet, in iugacionem incidere proditoris, expertus est ÆSCHYLUS b). Facile autem hostis omnis religionis judicari potuit, qui auctoratem librorum, a sacerdotibus sacra quadam superstitione reconditorum, in dubium vocare auderet.

Si igitur in carminibus, quæ ab ORPHEO nomen habent, vestigia apparent recentioris ætatis, si res orationisque formæ se offerant, in quibus agnoscatur novitas quedam, & quæ ab antiquorum consuetudine & dicendi genere recedant, minoris hæc æstimari non debent, quam suspecta sæpe dubiaque popularium auctoritas.

§. 4.

Id vero satis exploratum esse videtur, scripta, quæ hodie ORPHEI nomen præ se ferunt, neque unius omnia scriptoris esse, neque dictiōrem habere antiquam. In ipsis hymnis, qui & Argonauticis & Lithicis jam ab omnibus forsitan antiquarum litterarum cultoribus vetustiores habentur, sunt, qui recentioris ætatis expressa contineant vestigia.

Sic v. gr., ut nonnulla eorum strictim indicemus, Pan, quem Deo cuidam Mendesio comparat STRABO c) & qui Arcadibus Deus indigena fuit d), ante proelium autem Marathoniūm,

b) ARISTOT. *Moral.* ad. Nic. III. 2.

c) XIII. p. 802. ed. Parif. 1620.

d) PAUSAN. VIII. c. 26.

nium Athenis templum sacraque non habuit e), neque nisi ævo recentiori apud Græcos celebris fuit, in hymnis Orphicis invocatur. *Hermes* porro appellatur εὐεγενεῖος, quod vero epitheton longe post HOMERUM demum, cum hic Deus præses salutatus eset certaminum gymnicorum f), nominis ejus adjunctum est. Vocabulum πτῆνος dæmonesque alati g) ætate poëeos dramaticæ vix antiquiora fuerunt h). Quid? quod ipsa philosophematz, eaque inter se diversa, recentioris ætatis auctores hymnorum in suos usus convertisse, patet i).

B 2

Nul-

e) HERODOT. VI. p. 233, CLEM. ALEX. Admon. ad gentes, p. 23. ed. SYLBURG., LUCIAN. Bis Accus. p. 218. ed. Amstelod. 1687.

f) Hec pariter ac verbum ἡρμηνεία non nisi post Olympiada decimam quartam orta sunt (DIONYS. HALIC. Ant. Rom. VII. fin.).

g) Ex. c. Οὐεργος ταῦτα τέρπειος (H. LXXXVI), Νοτες λαυῆνος τηδηνα δι νεφος, περαιας πτερυγεστη δονεμενον (H. LXXXII). Recentioris notæ sunt quoque Νηνειδες τετρωνει επ' οχοιοιν περαλλομεναι (H. XXIV) & Δημητρης αεριτε δεκανοντειοιν επιγευσασσε καλινοις, cet. Universum tenendum est, imagines siq' um nubiumque a pictura demum, que non nisi illis itinera Deorum per æra & aquam exprimere potuit, ad paælin translatas fuisse. Cf. LESSING'S Laokoon oder über die Grenzen der Mahlerey und Poësie.

h) Cf. Mythologische Briefe von J. F. Voss passim.

i) Die Orphiker sind andere Gethymiskämmer nahmen im Zeitalter der Weltweisheit eine außländische Offenherzigkeit an. Ein Glaubenslied noch dem äußern, bald in dieser, bald in jener Gestalt, trat unter dem ehrenüräigsten Namen ihres Altvaters ins Freie: um was seit kurzem, vom Lichte der Vernunft entdeckt, oder zum Wahrscheinlichen gebracht, den Gemeinsin umleite, dieses in mystische Sinnbilder gehüllt dem uralten Schatz des Heilthums zuzueignen. Nicht einmal Widersprüche mit sich nieden zu ihrem Eifer die andächtigen Brüder, selbst über die damals wichtige Frage von der Gestalt der Erde; die einzige mit der ionischen Schule für flach, andere

Nullus vero pro cana Argonauticorum antiquitate, in quibus, pariter atque in hymnis, ORPHEI persona loquens introducitur, testis exstat præter Grammaticum DRACONEM Stratonicensem k), cuius tamen fides non uno nomine suspecta est. Eum tamen RUHNKENIUS excitavit, qui SCHNEIDERO, Argonautica opus recentissimi poëtæ esse, contendenti l), adversarium se omnino objecit m). Ex orbis terrarum deinde notitia, quam habuit auctor carminis, atatem ejus detegere studentes

THUN-

mit der italischen für rund ausgaben. Allen alles zu sein, war ihr Wahlspruch. *Mythol. Br. u. Voss.* Tom. II. p. 280. — H. XXII ex. c. TRALETIS sententiam de ortu omnium rerum ex aqua spectat. H. XXV HERACLIDEM, Proteo materiam, quatuor elementorum matrem, significari, docentem, in memoriam revocat.

k) Hic in libro περὶ μετέων ποιητῶν, quem anno superiori in Anecd. Græc. e Biblioth. Imp. Parisi. edidit BECKER, versum 110 Argonauticorum, huc ORPHEO adsignans, profert.

l) In *Amalect. Critic.* (*Trajecti ad Viadrum ap. 1777*) cit. ab HERRMANNO in *Dissertatione de aetate Scriptoris Argonauticorum*, ejus Orphicorum Editioni (*Lips. 1805*) annexa.

m) *Ep. crit. II.* ib. cit. Scribit, se ne levissimum quidem recentioris ætatis vestigium in Argonauticis reperisse. Item J. M. GESNERUS in Prolegomenis Orphicis (*HERRMANNI* Editioni Orphicorum præmissis) ait, se in opusculis, quæ hodie ORPHEI nomine existant, nihil animadvertisse, quod abhorreat. ab illis temporibus, quibus vixisse dicitur Thracius ille ORPHEUS, nullam eujuscunque rei mentionem, immo ne verba quidem, quæ Trojanis temporibus recentiora esse demonstrari queant. Cui asserto varia iterum opposuit SCHNEIDERUS in *Præf. ad Argonauticas*. Idem in collectione fragmentorum Pindaricorum, quæ in Vol. III carminum Pindari, ap. 1798 ab Heynio iterum editorum, exstat, de versi. 565 & 566 Argen. exclamat: *Quis vel leviter poëtarum consuetudine pulchrique sensu imbutus, persuaderi sibi patientur, tantam dictionis scribiliq[ue]m rationumque poëticarum ignorantiam in magnum venerandi ORPHEI vel ONOMA-CRITI ingenium cadere posse.*

THUNMANNUS *n*) & MANNERTUS *o*), in diversas valde partes tamen abierunt. SCHNEIDERUM igitur & RUHNKENIUM argumenta non attulisse, quibus ætas scriptoris Argonauticorum accurate posse definiri, judicat HERRMANNUS *p*). Improbatur etiam MANNERTUM, ex iis, quæ ignorare videtur auctor Argonauticorum, hunc HERODOTO antiquorem esse, colligentem. Sed THUNMANNUM, rationes ab iis, quæ poëtæ cognita sunt, repetendo, evinxisse, ostendit, poëma laudatum HERODOTO multo recentius fuisse. Ipse, numeros Argonauticorum universaque orationis conformatiōnem persequens, eruit, auctorem eorum inter NONNI & QUINTI Smyrnæ ætatem floruisse. Argumenta igitur, quibus suam feudentiam confirmare studet, haud abs re erit, breviter recensere. Varias mutationes, quas disciplina hexametrorum temporum successu experta fuerit, pervestigans, observat, scriptorem Argonauticorum cæfuram, quæ est in prima tertii pedis syllaba, a poëtis heroicis usque ad NONNI ætatem frequentatam, retinere. Utitur deinde poëta productionibus quibusdam brevium syllabarum ob cæfuram, quæ ab HOMERO HESIODOQUE frequenter, ab epicis ætatis cœterioris parens usurpantur, a NONNO autem non nisi rarissime admittuntur. Hiatus vero, a quibus scilicet poëtæ, quo recentiores fuerunt, eo magis abstinuerunt, ita adhibet, ut appareat, eum suiste ætatis usque ad NONNUM pertinentis. Occurrunt denique in Argonauticis frequentes correptiones vocalium ante mutam cum liquida, quas veteres reformidarunt, quæ apud NONNUM, quem indignis in disciplina hexametrorum conversionis auctorem fuisse ponit HERRMANNUS, non inveniuntur, at epicis ætatis inter hos medie, præcipue QUINTO,

fol-

a) Nova Biblioth. Philolog. Vol. IV. cit. ab HERRMANNO.

o) Geogr. Græcorum & Romanorum T. IV. p. 25 ss. ib. cit.

p) De ætate scriptoris Argonauticorum.

Sollemnes fuerunt. Videtur itaque scriptor Argonauticorum ætate fere æqualis QUINTO; quod præterea singulis verborum formulis examinandis probatur.

In Lithicis denique recensioris ætatis indicia sunt laudes, tam medicæ quam theurgicæ, lapidibus, a THEOPHRASTO, DIOSCORIDE, PLINIO, GALENO ignoratis, tributæ. TYRHWTUS q^{uod} e vers. 73 & 74 auctorem ejus sæculo, quod legem CONSTANTII de Magis suppicio capitis afficiendis insecumum est, & quo magiae scilicet nomine theurgia Philosophorum mystica gladio plectebatur, vixisse, verisimile judicat. Sed RUHNKENIUS r), cui adserit HERRMANNUS, dubitans, an VALENTINIAN^s & VALENTIS ætas carmen tam genuini coloris proferre potuerit, eum ætate æqualem fuisse putat DOMITIANO, qui Philotophos partim urbe & Italia ejecit, partim pena capititis compescuit. Ex utraque interim conjectura explicari potest, cur sui nusquam mentionem auctor faciat, & cur a nomine opus ejus citatum fuerit ante TZETZEN, qui, pronus in extore, illud tandem ORPHEI nomine venditasle videtur.

§. 5.

Quod vero ad originem universæ poësios mysticæ attinet, dicam non audemus scribere summis antiqui ævi Philosophis, quos una mente & voce de vetustate ejus consentire novimus. Ad fidem nempe pronum est, rationem humanam primam, quam conciperet, infiniti notionem a Deo quodam inspiratam putasle, atque pro mysterio, non nisi paucissimis initiatis communicando, habuisse. Prima rerum inventa haud me-

q) In Praef. ad *Lithica*, quam servavit HERRMANNUS.

r) Bibl. crit. P. VIII. p. 87, cit. ab Eod.

mediocri homines radiores perfuderunt olim & admiratione & inde cnata superstitione. Hinc est, quod & STRABO jure suo asserat, sacra occulta, naturam Numinis sensus nostros effugientem imitantia, maiestatem ORPHEO conciliasse. Hinc & vulgaris atque antiquissima fuit opinio, fontem sive principium omnis poëeos esse entusiasmum afflatumque quendam divinum; quare & vatibus, utpote Musarum sacerdotibus alumnisque, solemne fuit, profanum vulgus odisse & arcere. Quid? quod ipsi philosophi Græci sapientiam suam ut arcam quodammodo servaverint, ab ea degustanda plebem excluderint, adeoque & ipsi, speciei cuidam mystice velificati, hanc sapiendi rationem posteris quoque commendaverint.

Deinde, cum fide apud vulgum prævalerent Sacerdotes, sacra mystica a Diis olim instituta, profitentes, patet utique, nil certi constitisse de tempore, cui ortum debeant. Copiam itaque fabularum existisse & circumlatam fuisse necesse est aetate ONOMACRITI carmina mysteriorum plena contextentis & evulgantis; ad quarum exemplum plures dein componere, ingenio homini difficile non fuit: eas vero omnes suo de ingenio confingere neque ausus est, neque potuit.

Jam vero, ut vetera fertur fama, antiquissimi Græciæ incolæ vitam egerunt vagam, fere barbaram ^{s)}. Videtur ergo in eos quadrare, quod de hominibus primis canit PROMETHEUS *ÆSCHYLI* ^{t)}: videntes necquicquam viderunt, audientes non audierunt, sed somniorum imaginibus similes omnia temere commiscuerunt. Cum autem neque homines singuli, neque gentes universæ, citra alienam institutionem & petitam aliena opem, e barbarie egredi, & ad cultiorem vitæ rationem

^{s)} THUCYD. I. 2-12.

^{t)} v. 446 ff.

nem progreedi valeant, idæque & notio infiniti, ex qua modum animorumque mitigatio & ingenii humani pendet cultura, traditione, cuius ultimum principium in afflato divino sive revelatione quadam non possumus non ponere *ii*), excitentur, atque ab ea initia ducant, haud probabile est, licet ponamus, Mysticorum de sapientia Orphica vetustatèque ejus, & de bárbarie ei antecedente, opiniones exaggeratas fuisse, doctrinam illam mysticam, quæ fons religionis adeoque culturæ Græcorum fuisse videtur, indigenam fuisse Græciæ. Suspicionem de peregrina illius origine fabulæ, ORPHEUM itinera ad Ægyptum & Colchida fecisse, sacraque Ægyptiorum didicisse & domum apportasse, narrantes, atque HERODOTUS *v*), instituta Orphica cum Ægyptiis ejusdem fere generis comparans, confirmare videntur. Neque reticendum est, universam rationem mysticam Orientale quiddam sapere: notionemque facultatis cujusdam naturæ innatae, infinitæ, animalis vivæque, res omnes, quamquam variis formis indutas, concipiendi & generandi, notionem spiritus cujusdam divini, naturam animantis, quam carmina mystica Græca & communione utriusque sexus Diis tribuenda *x*), & nomine eodem variis Numinibus adsignando *y*), exprimere videntur

ii) Cum hoc philosophemate quodammodo concinit fabula, de PROMETHEO, ignem e cœlo furtim deripiente.

v) L. II. p. 75.

x) Σεληνη (H. IX) est Θηλυς τε και αρσην, Αθηνη (H. XXXII) αρσην και θηλυς, Αρτεμις (H. XXXVI) αρσενομορφος, Κορυβας (H. XXXIX) Θεος διφυης, πολυμορφος, e. s. p.

y) Ευβελος f. Euβελευς v. c., quæ nomina apud ORPHEUM forma, non significatu, differunt, appellatur & Φανης & Βανχος & Λιδης & Αδωνις & Ερως. Πρωτογονος appellatur & Φανης & Πρωτης αναξ. In H. XXXIV dicitur, homines nomine Panis cornigeri indigitare Apollinem.

etur *a*), in multis Orientis fabulis recurrere *a*). Sacra immo phallica, quæ eandem usserunt ideam, teste HERODOTO Ægypto oriunda erant: cultusque & Lingam, sacris illis phallicis similis, in Asia adhuc exstat *b*).

His itaque pensatis, facile est ad credendum, religionem mysticam, ritusque & orgia, quæ initia ejus constituisse videntur *c*), ab Oriente ad Græcos fuisse translata.

Animos ferros effrenatosque, cum orgiis, bacchationibus, ichoris, facrorum initiationibus, mysteriisque quasi afflarentur,

C

III

a) Exponere fere videntur hymni Orphici hos versus:

Eis Zeus, eis Aionis, eis Hælos, eis Dionyusos,
Eis Deos ev παντεσσι, τι τοι διχα τευτ' αγορευσ.

Quorum priorem ORPHEO assignat MACROBIUS (*Saturn*, I. 18); atque secundem versum citans JUSTINUS M. (*Coh*, p. 78. I. HUTCHINI), hunc addit.

a) Cf. FR. SCHLEGEL, *Über die Sprache und Weisheit der Indier*, p. 118 ff.

b) Cf. vel RIEMERS *Auszug aus SCHNEIDERS Griechisch-Deutschen Wörterbuche ad vocabulum Φαλλος*. — Ad res quam maxime indecoras fingendas ætas barbara, quæ nullius rei, nisi sensibus subjectæ, intelligendæ capax, anthropomorphismoque crassissimo dedita, in causas rerum inquire inciperet, non potuit non rapi. Naturæ animam tribuens, mutationes rerum ex conceptionibus certaminibus que Numinum, forma humana indutorum, explicare conata est. ORPHEUS turpisimæ facinora Diis adscriptissæ fertur (Cf. DIOG. Proœm.); MUSEUM ipsiusque filium ratos esse, tradit PLATO (*De Rep.* L. II. Tom. II. p. 363), æternam ebrietatem pulcherrimam esse virtutis mercedem.

c) E sacro quodam sermone, quem se ad Dodonam audivisse refert HERODOTUS (II. p. 69), Pelasgi quondam in Deorum invocatione omnia immolabant, tum nulli Deorum aut cognomen aut nomen imponebant, quippe quod nondum audiverant.

in poësin informem incidere, necesse fuit, quæ nobilior sedatiorque tum demum facta est, cum fabula antiquissima rudit superstitionaque a phantasia tranquilliori emollita eslet.

§. 6.

Si ergo sumamus, poësia mysticam diu in schola delituisse d), &c. ut rem, in sola conjectura fere positam, ex nostra mente explicare liceat, hoc carminum genus non nisi a paucis eidem initiatis in Thracia e) antiquitus servatum excultumque fuisse, in promptu est, cur, etiam si poësi epica vetustius in Græcia fuerit, nulla tamen ejus in carminibus Homericis existent vestigia. Quantum igitur in re obscura assequi valeamus, duæ eodem tempore Græcis fuerunt in distantibus terris scholæ poëticæ antiquæ, inter se valde diversæ, altera videlicet Thracia illa, sacerdotalis, sublimes ideas, animum divino quadam instinctu sive afflatu concitatum & oestrum quasi religiosum spirans f), ex qua & religio Græcorum & philosophia iplorum quondam prodit; altera Jonica, epica, nativa & sedata, Deos adspicibili forma induitos hominibus

asfor.

d) Poësis religiosa Orientis in scholis sacerdotum & vatum i. propheticarum, famæ laudique non velificantium, sed cultui divino solum intendentiorum, celebatur. Carmina vero eorum ab auctoriis bus scholarum nomina habuerunt.

e) Sollerterior Thracæ Macedonibus gens, & in diis colendis haudquam pari neglebat. PAUS. IX. 29.

f) Invocationes abruptæ & incisæ hymnorum non simplicitatem, sed entusiasmodum potius, redolent. Vates Orphici, si ex hymnis, in quibus, etiam si recentiores sint, formam antiquam servatam fuisse, probabile est, judicare liceat, non tam speciem perfectæ poësies assecuti sunt, quam animum religiosis sensibus pascere studuerunt.

asfocians, commentis fabularum ritibusque mysticis, orgiorum & entusiasmi furoribus carens, quæ viam historiæ, per vates cyclicos *g)* & λογογραφες *h)* sensim informatæ, paravit, nonque demum facta est mythologiæ Græcæ *i)*, poësi & phantasiæ lusibus omnem fere debentis originem.

g) De quibus vide FABR. Bibl. Gr.

h) Quorum vix nomina supersunt. Cf. DIONYS. Halic. Περὶ τῆς Θεοφόρης χαράκτην, c. 5, & G. J. VOSSIUS De Historicis Græcis L. I. c. 2.

i) HERODOTUS (L. II. p. 69): HESIODUS atque HOMERUS (quos quædringentis non amplius annis ante me opinor existuisse) fuere, qui Græcis theogoniam introduxerunt, eisque cognomina dederunt, homoresque & artificia distribuerunt, ac eorum figuræ etiam efficerunt.

Digitized by srujanika@gmail.com

The 1907-08 season was the first to feature a full-scale football team, with the club's first game being played against the University of Michigan on October 13, 1907.